Fragmentarium

misericordia et veritate. Ubi enim fuerit
multa de miseratione presumptio, et
oblivio veritatis, nulla est misericordie con-
solatio. Nam neque veritatem tenet, qui
misericordiam ubi vera est non agnoscit, nec
vera esse sine veritate misericordia potest.
Itaque ubi misericordia et veritas obviave-
runt sibi, sese etiam iusticia et pax oscula-
tur, nec ab eis hiis potest civis in pace
locus factus est. Ab hiis itineribus incur-
vati sunt colles mundi, superbi demones,
principes mundi huius, qui iam veritatis
et misericordie nescierunt, neque meminerunt
semitarum eius. Quid illi cum veritate, qui men-
dax est et pater eius? Denique habes ma-
nifeste de eo scriptum, quia in veritate non
stetit. Quam vero longe sint a misericordia,
etiam infelicia nobis ab illo ~~misericordia~~
miseria nostra testatur. Quando ille
umquam misericors fuit, qui homicida
erat ab initio? Quam nequissimus ille
qui numquam sua propria iniquitate doleret,
numquam super propria dampnatione compun-
gitur. Similiter illum falsa presumptio a via
veritatis extrusit, cum crudelis ob-
stinatio via misericordie interclusit ei.
In hunc modum illi tumidi colles in-
curvati sunt ab itineribus eternitatis
eius; tunc autem dum que recte sunt per-
ditorum itinera vel precipitia corrue-
runt. Quam vero utilius alii quidem col-
les ab hiis itineribus incurvati et hu-
miliati sunt ad salutem. Non enim sic
incurvati sunt ab hiis tamquam ab eorum
rectitudine dissidentes. An non iam
cernere est incurvatos colles mundi,
tum sublimes quosque et potentes de no-

ta subiectione inclinantur ad Christum
et vestigia eius adorant. Hunc quidem non
incurvavit, cum ab ipsa pretiosa
sua celsitudine vanitatis et crudeli-
tatis ad humiles semitas convertun-
tur misericordie et veritatis. Ad illas in-
curvantur non modo bonorum spirituum,
sed etiam electorum vie diriguntur ho-
minum. Et primus quidem gradus misero
homini emergenti de profundo vitiorum
illa est misericordia qua miseretur filio ma-
tris sue, miseretur anime sue, per quod
placeat Deo. Imitatur enim qui eiusmodi
est magnum illud miserationis
opus, compunctus cum eo qui pro se pro eo
punctus est moriens. Hec mi-
seratio prima recipit redeuntem
ad cor, et hec in ipsa interiora inducit
archana. Conversus ad cor fiat par-
vulus in oculis suis necesse est. Non
enim velit dissimulare quod non valet nesci-
re quam ad nichilum sit redactus, ut non
confundatur in luce veritatis, quod non sine
miserationis affectu viderit in occul-
to. Sic ingreditur homo vias misericordie
et veritatis, vias utique Domini, vias vite,
et fructus earum salus est viatoris. Vi-
as quoque angelorum ad easdem nichilo-
minus tendere necesse est. Cum enim ascen-
dunt ad contemplationem, inquirunt veri-
tatem, de qua et desiderando saciantur,
et saciando desiderant. Cum vero descendunt,
faciunt nobiscum misericordiam, ut custo-
diant nos in omnibus viis nostris. Ad mi-
nistratorii enim spiritus sunt missi in mi-
nisterium propter nos. Plane ministri
nostri sunt, non domini nostri. Cum in hoc unige-

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1502, f. [6]r – Bernardus Claraevallensis, <i>Sermones</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rlkx/7360/59201)